PALÆSTRA
THEOLOGICA.
LITTERALIS
CONCENTATIO,

TRIVM DIERVM

CIRCVLO CONCLVDENDA, VT COMITIA PROVINCIALIA, QVÆ SEMPER AVGVSTA ELIANA BÆTICA FAMILIA, SVB TITVLO INTEMERATÆ V. MARIAE DE MONTE CARMELI,

IN INSIGNI, ET MAIORI

HISPALENSI COENOBIO EDVCIT AGENDA, CELEBRIORA FIANT.

Anno Dñi. 1678. Die 30. Aprilis.

17

324

C

LVNES

ſos,y

R

PRIMEVÆ HEROVM

SPECIEI; IMPERIO DIGNISSIMAE Nobilitatis Pulchritudini; quam si à Chronicis quis sollerti instrumentorum indagine retrospiciat, & Isocraticum myrothecium insumat, etiam ab æuo vendicatam inueniet, vt quæ gentilitium referat sumptuosius, reddat augustum.

EX STIRPE, INQVAM, SPINOLA ET GVZMAN vetustatis venustate virenti Flori, quem solum salumque omne sibi natum expetit, sed pace vtriusque Hymnicè, & Antologicè Antipater

Dicere si mihi liceat Phœbi oracula, calum
Certa tibi Patria est, Calliopea Parens.

PRVDENTIÆ, PERFECTIONVM AVRIGÆ, fulgores, flores, fructus ad amussim splendidissimo Auctario, quin & Archetypo, vt perturbatis cogitationibus, discretio minimè succumbat, synderesis, & arbitrij copiam eroganti, & specimen facienti;

IVSTITIÆ IPSAM CONCINNITATEM, NE aut extinguatur, ne vè laboret, ius Præsuli, Iudici, ornanti decoranti, nomen vltra Braccij omen æternaturo

Non Vulcanus edax, non ferrum, aut alta vetustas,
Seraquè posthertas, non abolere potest.

Ob fortitudinem sacrato Heroi constanter agenti, & pro æquitate fiducialiter pugnanti. Temperantia, ac frugalitate fœlicitatis, & moderationis diuiduum contubernium habentibus, à præcoci ætatula mirum in modum autumnanti.

Cui ergo vniuersus pietatis, comitatis, ac sanctitatis chorus addictus est, cui soli Soli Platonis Ara à Criniro adscripta in Parthenicis consonat armonicè.

Qui solus vita, doctrina moribus, ore,
Admonuit cunctos, & monimenta dedit,
Vt virtute queant fœlicem ducere vitam:
Nulla ferent talem sæcla futura virum.

D. D. AMBROSIO
IGNATIO SPINOLA ET GVZMAN,

CVIVS PANEGYRI SI CONTINGAT EXORdium, minimè per oratio; post Ouetanam, ac Compostellanam, ad Hispalensem Metropolitanam infulam adscito, & pro meritis saniorum plausu, atque albissimis votorum lapillis ad purpureũ filamentũ euocando. O benè Pastor Pater clemens parce, ná & si tua à Tyrijs modestia vest bus erubescat. Te ob egenorum prouidentiam melius; quam Ægiptij Nilum ob spicarum pinguedinem, redemptorem, & saluatorem Carmelitarum hæc Antiquæ Obseruantiæ Bætica Prouincia autumare nõ recusauit. Tãtoq; pro Comitiorũ celebratione, hæc Theosophica asserta Thymiamatis vice, dũ obsequij authoramentum euulgat, suppliciter offert. Si

Nec quæ de parua pauper Dijs libat acerra
Thura minus grandi quam data lance valent.

I. ASSERTVM.

IMMENSVM Diuinæ scientiæ pelagus inspiciens Propheta sic exclamat *mirabilis facta est scientia tua confortata est, & non potero ad eam*. Propriè nãque reperitur in Deo, exactequè à D. Thom. ex summa eius immaterialitate suadetur; intellectus enim in Deo non est per modum potentiæ, esse in Deo intellectum, & intellectionem formalissimè idem firmiter cum Angelico Præceptore tenere consueuimus: & hanc prout explicat rationem scientiæ esse attributum illius, & virtualiter à se ipsa distinctam prout identificata formaliter cum natura, & essentia. Huius præfatæ scientiæ obiectum primarium tam specificatiuum quam terminatiuum esse naturam Diuinam vt ab attributis, & relationibus virtualiter distinctam obseruamus. *Quæ sunt Dei nemo nouit nisi spiritus Dei*. 1. ad Chorint. 2. vnde de fide constat Deum se ipsum cognoscere, cum enim omnis intellectio sumat suam specificationem ab obiecto motiuo, dicimus vnicam tantum scientiam dari in Deo, non solum realiter verum etiam nec virtualiter multiplex.

II. ASSERTVM.

VItam Dei esse intellectiuam constat ex illo Psalm. 131. *qui fecit cælos in intellectu*. Quia tamen vnica, & simplicissima Diuinitatis substantia æquiualet varijs perfectionibus, quæ in rebus creatis, quauisquè distinctione limitationis causa distinguantur (salua in eis quæ ex genere suo distincta sunt) cum limitatio omnino repugnet Deo, & potentialitate non sit ad mixtus certa via Diui Thomæ stantes Deum ita esse actum purum, non solum in ordine entitatiuo, sed etiam intelligibili, & operatiuo; vt non possit esse vel concipi cum potentia ad existentiam, vel ad operationem; nullum potest in eo esse fundamentum ad ponendam distinctionem virtualem inter eius essentiam, & naturam. Constitutiuum naturæ Diuinæ ad gradum intelligendi, debet pertinere. Cum ille sit perfectissimus extribus; qui ad mituntur, naturatum constitutiuis. Vnde intelligere Diuinum, sub conceptu formali vltimæ actualitatis completæ, & per se subsistentis in genere intellectuali, est constitutiuum formale essentiæ vel naturæ Diuinæ.

III. ASSERTVM.

Deus enim non solum se, sed alia à se per suam scientiam cognoscit, & illa duplici scientia, alia à se quæ sunt in statu possibilitatis, cognoscit sciétia simplicis intelligentiæ; alia à se quæ existunt vel ordinem dicunt ad existentiam, scientia quæ visionis appellatur. Hæ autem distinctæ solum penes terminationes secundarias, quæ vero scientia media dicitur, dicimus Deo repugnari. Modus huiuscemodi cognitionis creaturarum, est suæ essentiæ vt obiecti primarij, & causæ prius cognitæ; ita cum illarum possibilitate connexæ, vt si per impossibile aliqua redderetur impossibilis, perfectio intrinseca Deo deficeret. Non solum directiua, sed etiam effectiua causa rerum Diuina scientia est; vnde stabilimus scientiam Dei non solum dirigere Deum in productione creaturarum; sed etiam imperari, & exequi immediatè earum productionem, per actum imperij formaliter immanentem, & virtualiter transeuntem, quod ad eas immediatè dirigitur; atquè adeò Deus non indiget aliqua alia potentia executiua virtualiter distincta.

IV. ASSERTVM.

Ait Cassiodorus. *Parum laudis habet virtutum corona, quæ ex labore non descendit.* Vnde ex gratia seu per gratiam operando possumus verè, & propriè aliquid à Deo promereri; gratia habitualis physicè nō influens in opera naturalia hominis iustificati, illa non dignificabit nec meritoria præmij supernaturalis constituet. Meritum autem *est opus retributione dignum.* Duplex theologi solent distinguere meritum; vnum propriè, & strictè sumptum, quod habet in se valorem, & æqualitatem cum præmio, & vocatur meritum de condigno. Aliud largè, & impropriè dictum, quod exceditur à premio in valore; est tamen decens, & congruum vt tribuatur à premiante, vnde dicitur meritum de congruo, meritum verò de condigno supernaturalis præmij, requirit quod actio meritoria referatur ad præmiantem, non habituali, sed saltim virtuali relatione.

V.

V. ASSERTVM.

EX omni parte meritum aliquas ex poscit conditiones; ex parte enim actus quod positiuus sit flagitat (ex quo infertur puram omissionem absque omni actu nullatenus posse existere meritoriam) item reale debet esse, & liber, moraliterquè bonus; qua in re firme tenere decreuimus, quod in statu viæ, in quo solum est meritum duo de via ordinaria requiruntur, scilicet existentia in corpore, & per lumen obscurum regulari; de potentia tamen extraordinaria, status viæ cum clara Dei visione stare potest; vt patet in Christo Domino qui à primo instanti suæ conceptionis fuit simul viator, & comprehensor; vnde eius meritum non potuit in fide fundari sicut nostrum; sed in altiori genere cognitionis, nempè scientia infusa, cuius actio ad Deum vt est ratio diligendi creaturas, vt meritoria existeret terminabatur. Respectu præmij possessi implicat meritum, hoc autem est eius quod nondum habetur. Non repugnat tamen, quod in termino adeptæ beatitudinis, mereatur aliquis vlteriorem gradum, & augmentum illius: vnde quamuis Christus Dominus beatitudine, gratia, alijsquè dotibus nunquam caruerit, meruit tamen gloriam corporis, & eius immortalitatem.

VI. ASSERTVM.

ETiam Persona merens viatorē exigit esse: vnde cum N. Parens Elias, & Enoch sint in statu gratiæ, & viæ, aliasquè conditiones ad meritum requisitas habeant, verè meriti possunt. Non conuenit enim Diuinæ bonitati, immo indignum videtur Diuinæ manificentiæ, illos miraculosè in hac vita tanto tempore detinère; & sine fructu meriti eos visione beatifica tandiu priuare; deinde ad excellentiam meriti sufficit excellentia amoris, & promptitudo voluntatis, quæ in illis sanctissimis viris maxima est; maximum deniquè debet esse illorum meritum, iudicamus. Actum propriæ, & strictæ iustitiæ, non tamen commutatiuæ, sed solum distributiuæ esse in Deo retributionem meritorum fatemur; habentem modum aliquem seu similitudinem commutatiuæ iustitiæ. Absquè aliquo imperio, seu relatione saltim virtuali charitatis nullum actum cuiusvis virtutis infusæ, & multò minus virtutis moralis acquisitæ, esse meritorium de condigno vitæ æternæ; dumtaxat illis accidentale aliquod præmium concedimus.

** VII. ASSERTVM. **

EVcharistiam esse verum nouæ legis Sacramentum, vt certum, & indubitatum supponimus : cum quidquid ad rationem, Sacramenti ; nimirum esse signum sensibile à Christo permanenter institutum ad significandam, & efficiendam gratiam illi conueniat. In quo nam essentialiter consistat, & pro quo supponat? Grauis est difficultas. Dicimus ergo : non in sumptione, nec in consecratione, nec in corpore, & sanguine Christi sed in speciebus consecratis formaliter consistere, & pro ipsis supponere. Sit ne realis suceptio Eucharistiæ, vel saltim votum eius explicitum vel implicitum, medium, ad salutem necessarium? Varia sunt Authorum placita. Illis igitur relictis asserimus cum fide, Sacramentum Eucharistiæ in re suceptum, non esse medium necessarium ád salutem.

** VIII. ASSERTVM. **

ET licet votum seu desiderium formale, & explicitum recipiendi Eucharistiam, non sit de necessitate salutis, nihilominus tamen tale Sacramentum, in voto, saltem implicito, tacito, & interpretatiuo susceptum est necessarium ad salutem necessitate medij. Aquam infusam calici consecrando, conuerti in sanguinem Christi; ex vi verborum Sacramentalium, & non remanere in propria specie, nec conuerti in aquam, quæ fluxit de latere Christi, vt certum supponimus, contra nonnullos Anthores quorum opinionem refellit Innocētius III. Sed an hæc conuersio sit immediata, vel solam mediata, celebris est controuersia inter Theologos. Aquam enim infusam calici non conuerti in sanguinem Christi nisi mediatè, ita quod prius debeat conuerti in vinum firmiter censemus.

** IX. ASSERTVM. **

LIcet verum ſit vnam ſpeciem poſſe validè ſine altera conſecrari, certum enim eſt, nulli Sacerdoti de iure ordinario licere vnam ſpeciem conſecrare ſine alia. Eſt enim præceptum Eccleſiaſticum quo ſtrictiſsimè id prohibetur, vt liquet ex cap. *referimus de conſecrat.* quæſt. 1. vbi dicitur *non poſſe ſine ingenti ſacrilegio diuidi miniſterium*. Poſsitne Summus Pontifex diſpenſare in hoc præcepto, & ob publicam aliquam vtilitatem permitere, vt vna ſpecies ſine altera conſecretur? Negatiuam ſententiam libenter amplectimur. Cum conuerſio in genere, *ſit tranſitus vnius rei ad aliam*. Vt ex eius definitione liquet, non dubitamus ex conditionibus ad illam requiſitis, tranſubſtantiationem Euchariſticam, veram eſſe corporis, & ſanguinis Chriſti productionem, non quidem ſimpliciter loquendo, ſed ſub nouo modo eſſendi, ſiue ſub ſpeciebus Euchariſticis. Cuius terminus formalis primarius, ad *quem* eſt Corpus Chriſti, non vt præſens ſub ſpeciebus, nec vt illis ſubſtans, nec vt præciſè ſuccedens pani, ſed, vt eſt id, in quo panis conuerſus eſt.

Propugnans aderit pro Comitijs Prouincialibus P. F. HIERONYMVS DE VELASCO, Conuentus de Sanlucar Artiũ Lector, ſub tutamine R.P.M.F. BERNARDI DE HOZES, Diui Alberti Collegij Rectoris Prima die Capituli, & 1. Maij.

QVIS

328

QVIS HODIERNÆ

ELVCVBRATIONIS ADERIT PROPItius tutelaris, terrarum orbis Capitulum maximum, Ecclesiarũ primicellus princeps; omnigenarum virtutum thesaurizans ornamenta, Catholicæ Fidei Hispanicus Athlans, venerandæ encyclopædiæ per terricrepum Athenæum; cunctiquè decoris infularum fontale, & fœcundissimum Chariofyllum. Sed quid à me? Si Religionis pietatis honorisquè magnificentia diuini cultus zelotes feruentissimus, & Hispaniarum fenix plausitatur.

CVIVS PRÆCLARA STEMMATA Lilia, & Turris (Lilia loqui) per se ostentant plausitabundum, eius gloriam linguato buccinantia silentio. Vnde hic Illustrissimorum Principum, Reuerendissimorum Præsulum, Clarissimorumque Doctoratus laurea, cœtus melius, quam illa Gallicana Liliarum ta Sodalitas, Liliatũ Areopagũ cognominari meruerit.

CVI CANDIDVM LILII IN BENIGnitate, aureum in Maiestate, odoriferum in fama,

ma, & prædicatione, Pandulum in suscipiendo miseros, in curuum deniquè Lilij in condescendendo peccatoribus, & eos subleuando, absquè indagine fulcimentum præbent; verè igitur conuallium, seu fidelium Lilium publicæ Augustæ populeæ spei, ad cuius vnguenti odorem egeni fiducialiter currunt. Vnde.

Pascunt in riguis vbi candent Lilia campis,
Et sua virgineos ducit in arua greges.
Scilicet æthereum ducit hic flos purus amorem,
Et benè tam castas pascit, hic ortus oues.

QVEM ERGO TANTVM TANTA VEnustam priuilegia? Quem nisi REVERENDISSIMVM, ILLVSTRISsimumquè Hispalensis Ecclesiæ

DECANVM. ET CAPITVLVM,

QVEM PRO GENTILITIO TVRRIS TESSERA; qua Deus homo exornatur, etiam nobilitat, & in fortitudine Principem inaugurat; Turris ergo Princeps (& si à terrendis hostibus dicta) Turris fortitudinis cum propugnaculis in profligãdis inimicis illius Dauidicæ Turris in suo primo erectionis instanti, puritati non assentientibus, vocitaris in orbe.

Ad tãtum ergo Mæcenatem pro fœlicioribus auspicijs hæc Vandalica, & Carmelea Prouincia confugit, ad eius valuas hæc theoremata appendendo.

~~I. THEOREMA.~~ 1
4. conclusio =

FIDES diuina quam Apost. ad Hæbr. 1. describit: *Est autem fides sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium.* Ceterum scholastico more potest sic Essentialiter definiri: *Est habitus per se infussus, quo certissime assentimur ijs, quæ a Deo dicuntur propter eius authoritatem, & testimonium.* Has ergo definitiones, vt optimas admittimus. Ex quo, Deus vt est prima veritas formaliter, non in essendo, nec in cognoscendo; sed in dicendo, seu testificando est obiectum formale diuinæ fidei.

II. THEOREMA.

TAlis enim veritas in dicendo ex infinita sapientia Diuina coalescit, per quam falli Deus non potest, & ex bonitate infinita per quam alios fallere sibi repugnat. Fides autem Diuina requirit essentialiter sui obiecti ineuidentiam, seu obscuritatem ex parte medij solum, non vero ex parte subiecti: Vnde non repugnat actus fidei circa obiectum aliquod aliàs euidenter cognitum, sed simul in eodem intellectu euidens cognitio, & fidei actus de eodem obiecto dari possunt.

III. THEOREMA.

REuelationes Diuinæ aliæ sunt vniuersales, quæ in vniuersalia obiecta feruntur, aliæ autem sunt particulares, quæ supra obiecta particularia cadunt. Vt ergo assentiatur singularibus contentis in vniuersali propositione reuelata sufficit reuelatio illa vniuersalis, dummodo sub tali euidenter, physicè, vel moraliter notum sit contineri: vnde sequitur fidei dogma, hunc numero hominem v.g. Innoc. XI. qui communi concensu Ecclesiæ est acceptus caput ipsius, esse verum Pontificem Petriquè successorem.

IV. THEOREMA.

V*Bbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo ibi sum in medio eorum.* Ait Math. cap. 18. ex quibus verbis colligitur Concilium generale legitimè congregatum, & celebratum non posse errare in determinando res fidei, vtpotè regulam infallibilem fidei, & ratio suadet, nam Cócilium generale vniuersam Ecclesiã repræsentat cum in eo sit tota eius authoritas; vniuersa autem Ecclesia vt patet de fide, non potest errare in credendo, & docendo cum illa sit columna, & firmamentum veritatis, contra quam portæ inferi nequeunt præualere.

V. THEOREMA.

AD fidem enim diuinam, spes supernaturalis subsequitur, cuius obiectum formale aliquid creatum non est, sed solum Deus non sub quacumquè ratione, sed vt est bonum nostrum, vnde beatifica visio locum non habet, nec tanquam complementum in constitutione huius obiecti formalis, licet ab illo connotetur tanquam modus aut conditio requisita, vt sortiatur tale formale obiectum, materiale autem obiectum in quod spes primario tendit, beatitudinem formalem animæ esse censemus. Omnipotentiam vero Diuinam pro ratione formali sub qua spei assignamus.

VI. THEOREMA.

HÆc autem Theologica virtus spes suos proprios habet actus, quorum præcipuus est ille per quem voluntas erigitur, & tendit circa Deum, vt bonum nobis superando omnes difficultates quæ sunt in illius consecutione. Vt autem huiuscemodi actus proportionatè Eliciatur actum iudicatiuum intellectualem, & supernaturalem ad virtutem fidei pertinentem requirit, sicut & habitum supernaturalem spei à cæteris virtutibus Theologicis distinctum realiter, & specie expostulat.

✻ ✻ VII. THEOREMA. ✻ ✻

CHaritas, Apost. teste excellentissimum omnium charismatum est, definiturquè à D. August. per hoc *quod sit virtus coniungens nos Deo.* Hæc est vera, & propria amicitia vt tenet noster Angelicus Magister: & definit per affectum beneuolentiæ, quatenus volumus alicui bonum eodem modo redamare potentis, itaque sine illa non potest dari perfecta, & supernaturalis amicitia hominis ad Deum, nec Deus illam habet cum prædestinato pro illo tempore quo habitum charitatis non habet.

✻ ✻ VIII. THEOREMA. ✻ ✻

HÆc autem charitas supernaturalis est habitus infussus iustis vero inhærens, conferens potestatem proportionatam ad eliciendum actum amoris circa Deum, & licet de facto requiratur simpliciter vt proportionatè, & consentanee potentia producat suos actus supernaturales, hoc non impedit vt per absolutam Dei potentiam voluntas cùm solo auxilio Dei supernaturali illos Eliciat. Obiectum formale, & primarium charitatis non est Diuina bonitas vt communis analogicè bonitati Diuinæ per Essentiam, & Diuinæ per participationem.

✻ ✻ IX. THEOREMA. ✻ ✻

QVod autem hæc charitas à gratia distincta sit maxima inter authores controuersia est, sed quidquid sentiant excellentiori modo ac in alijs sanctis reperta, sit in Virgine María, teste Angel. Mag. 3. p. q. 27. art. 1. vbi ait; *Rationabiliter creditur, quod illa qua genuit vnigenitum à Patre plenum gratiæ, & veritatis præ omnibus alijs maiora priuilegia gratiæ acceperit,* ex quo infero quod si Doctor gentium, D. Benedictus transeunter habuerunt lumen gloriæ, & Deum viderunt, Beata Virgo Maria vtpotè maiori gratia, & charitate fulgens, etiam excellentius lumen gloriæ habuit, & non transeunter, sed permanenter, & absquè interruptione Deum vt est in se vidisse, à primo instanti suæ conceptionis, defendamus.

Erit publica concertatio in hoc Magno Hispalensi Carmelo per P.F.IOANNEM ROjANO, Diui Alberti Collegā; cui Præses aderit R.P.M.F. FERDINANDVS DE CASTRO, huius Prouinciæ Diffinitor, 2. Capituli die, & 2. Maij. Anno Domini 1678.

ALE-

ALEXANDRIDÆ

MVNIFICENTIÆ, POMPEIANAE Magnanimitatis, Equilibris Numeadæ iustitiæ, integritatiſque Catholicæ Æmulatori diſertiſsimo, Virtutem Herculis validam, cum Gracili Vliſsis acumine ſimul aſſocianti, tanto pro Patrio ornamento flagranti deſiderio: vt aptè illud Virg. ad

S. R.

Vitis vt arboribus, vt vitibus vuæ,
Vt gregibus Tauri, ſegetes vt pinguibus arnis.
Tu decus omne tuis.

IN NOBILITATIS GENTILITII STEMMATE omnes mundi vrbes, & Colonias ſuper eminenti, & nunquã ſatis conclamato pro ſuæ celſitudinis ſignis tria luminaria doctrina, & ſanctitate, illuminantia orbem, & ante Deum lucentia candelabra, vociferanti: quæ dum in terris optimã elegere partem, nunc cœlorum ornamentis laureata, Olimpicis ſunt rutilantia manſionibus; quorum luminare primũ Regum, à quibus plures oriundi, ſceptra loquitur, & coronas: altera coronatos Europæ vertices per affinitatem inſertos, ſtirpi, Principes, & Monarchas Hiſpalicam poſteritatem referentes oſtentant. Vnde aptius quam Tertul. ad Cartag. *Vetuſtate nobiles nobilitate fœlices*, hic factum,

O HISPALENSIS

CELEBERRIMVS

SENATVS,

AD CVIVS ÆTERNITATEM OLIM HISPANIcus noſter Mantuan.

Vidi-

332

Vidimus Antiqua specimen virtutis in vna
Fabritios, Curios, Brutos, Fabiosquè, Camilos
Cæsareos animos, cum religione Catonis,
Atque Platonis opem miram Demostenis arma.
Sed veteri taceant, cadant veterumquè trophæa
His etenim ficta fuerit virtutis imago,
Vidimus ardentes Christi pro nomine sanctos,
Continet hos omnes specioso in littore Bætis.

AD TE ERGO HISPALIM MAVORTIS, & Lycurgi Lycœum, Neemesis prosperatum Mausoleum, Equitatis, & Mineruæ Templum, antiquata Iulij Italica, & Herculeis venustatā columnis Vandalica Carmeliadum Prouincia pro celebrando ad vnum conuocata Capitulo, auspicijs pro fœlicioribus confugit, ad tuæ protectionis ianuas hos Theologicos flosculos, vt titulis sæpe pluribus tuos appingendo.

★✶★

DE

I. FLOS.

NON dicas coram Angelo, non est prouidentia. *Ecclesiastes 5. nu. 5.* Omnium quippè rerum prouidentiam in Deo dari fides Catholica docet, qua sic Deus erga creaturas, quas condidit prouidentissimè, & sapientissimè se gerit, vt minutissimis quibusque, vilissimisquè (quanto magis, perfectioribus prouidebit) aptissima ad suos fines media procuiusquè natura, siuè indigentia prouideat: maior autem prouidentia circa electos est, quæ prædestinatio illorum appellatur, estquè secundum Aug. *Præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimmè liberantur*: Est ergo actus quo rationalis creatura transmittitur à Deo in vitam æternam, & vt intentio vsquè ad executionem prosequatur, hi sunt ordinandi actus, efficax intentio gloriæ electis conferendæ, mediorum electio, imperium quod habeat talia exequi media, & vsus actibus quo totus prædestinationis ordo finitur.

II. FLOS.

S*Aluamur secundum imperium Dei saluatoris nostri. Ad Timot. c. 1. n. 1.* Et ita, & si omnes supra relati actus ad nostram desiderentur prædestinationem, aliter tamen, & aliter, nam quidditas, essentia, atque formalissima prædestinationis ratio in recto, in actu Diuini imperij saluatur, & si de connoto antecedenter, siue consequenter cæteri ad ipsum imperium exigantur actus: scientia media qua merita in statu conditionato cognoscantur futura nullatenus requiritur, quos enim ab æterno Deus ad gloriam elegit, non solumquè illam secundum se dare intendit, sed etiam vt præmium, & coronam, ad quam adipiscendam plures ponit effectus prædestinatio, inter quos permissionem peccati ponimus ex præ intenta pœnitentia.

III. FLOS.

ATtingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. *Sap.* 1. 8. Diuina prouidentia, & ita cum infallibilitate Diuinæ prædeſtinationis, optimè cohæret noſtræ voluntatis libertas, vtrumquè enim in concordiam adducit, non quidem ſcientia aliqua media inter liberam, & neceſſariam (abſit hoc à nobis) ſed Diuinæ virtutis eminentia, cui non ſolum competit omnes effectus naturalium agentium ſimultaneè cauſare; verùm, & ipſum operandi modum vniuſcuiuſquè cauſæ per virtutem inditam adaptatum, mirè delineari: vnde tantum abeſt quod Diuina prædefinitio auferat libertatem, quod potius aſtruat, nam ita decernit actum liberum fieri, vt ſimul aſtruat modum cum eadem libertate illum exequendi: efficacitas enim Diuini auxilij vtrumquè depoſcit, & quod de facto operetur voluntas, & quod liberè operetur. Qui modus libertatem conciliandi in re ardua, & difficili probabilior apparet.

DE INCARNATIONE.

IV. FLOS.

PLenum gratiæ, & veritatis. Ioann. 1. Vnigenitum Patris vidiſſe teſtatur: vnde gratia habitualis verè fuit in Chriſto, quæ in nobis dicitur iuſtitia inhærens. Hæc neceſſaria fuit, vt eius anima diceretur grata, & ſancta ſimpliciter, & omnibus modis, & vt haberet formaliter ſanctitatem conſummatè, & modo vndequaquè perfecto, abſolutè tamen per gratiam vnionis reditur anima Chriſti formaliter ſancta. Perſonalitas Verbi, vt formaliter à Deitate præciſſa, gaudet etiam munere ſanctificandi: nequè inde ſanctificationẽ Chriſti prouenientem à Deitate excludas. Secus verò ſentiendum tenemus de ipſo modo vnionis humanitatis cum perſonalitate Diuini Verbi.

V. FLOS.

DEſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum, Lucæ 22. *num.* 15. Vnde clarè colligitur fuiſſe in Chriſto deſiderium circa ea quæ non poſſidebat. Fuerunt etiam in illo omnes gratiæ gratis datæ, aliquando vſus fuit gratia linguarum, & prophetiæ excellentia floruit. Non ſolum autem hæ,

ſed

sed & omnes virtutes per se infusæ fuerunt in Christo, quæ nullam dicant imperfectionem repugnantem statui Beatifico. Ex hoc inferes Christum caruisse habitu, & actu Fidei. Abest etiam ab illo Theologicæ spei actus, & habitus; non solùm erga primarium, & principale illius obiectum, sed etiam circa obiecta secundaria, immò neque spes communiter dicta fuit in Christo circa gloriam corporis.

*** VI. FLOS. ***

ET requieuit super eum Spiritus Domini, Spiritus scientiæ, &c. Isaiæ 11. *num.* 2. Scientiæ videlicet infusæ, quæ etiam fuit in Christo, distincta à Scientia beata: & à proprijs actibus acquisita, quam habuit à primo instanti suæ conceptionis. Per hanc scientiam cognouit omnia quæ ab intellectu humano cognoscuntur. Etiam fuerunt ei notæ per hanc scientiam cogitationes liberæ tam hominum, quam Angelorum, antequam aliquo signo exteriori manifestarentur. Cognouit etiam omnia præterita, & futura contingentia, necnon vnionem hypostaticam. Hoc intellige non solùm de cognitione quidditatiua, sed etiam comprehensiua, fuit etiam in Christo scientia naturalis, quam paulatim acquisiuit.

** *DE ~~GRATIA~~.* **

*** ~~VII. FLOS.~~ 1. Conclusio ***

PEr quem maxima, & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hoc efficiamini Diuinæ consortes naturæ, 2. Petri, cap. 1. Per gratiam videlicet sanctificantem, quæ participatio Diuinæ naturæ est, ita adæquatur causa formalis iustificationis nostræ, vt etiam attento Dei posse, neque per actum contritionis, & charitatis, quæ tantummodo dispositiones sunt iustificari quis valeat. Sed præcisè per ipsam per quam etiam reddimur obiectum proportionatum Diuinæ dilectionis filijque Dei adoptiui, quæ sanctificans gratia non educitur de potentia animæ quamtumuis obedientiali, sed à Deo immediatè creatur.

*** VIII. FLOS. ***

OMne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est. D. Iacob. cap. 1. Ex quo Ang. Præcep. 1. 2, art. 2. q. 110. ait Deum quos mouet ad consequendum bonum supernaturale æternum infundere aliquas formas, seu qualitates supernaturales, secundum quas inclinemur ad bonum æternum; & per donum gratiæ qualitas est. Vnde apertè constat gratiam, & in esse gratiæ, & in esse qualitatis considerari posse, & licèt in esse gratiæ ita nobilis sit vt omnem substantiam creatam, & creabilem; si hypostaticam solummodo vnionem excipias; excedat, & vtpotè producta ex intentione remittendi peccatum omnimodã repugnantiam cum eo dicat, & in eodem subiecto minimè reperiri possent; attamen in esse qualitatis, non solùm cum peccato sed etiam cum Beatitudine physicè sumpta compati pro viribus defensamus.

*** IX. FLOS. ***

2. Conclusio.

NOn vereari iustificari vsque ad mortem. Prouer. 17. Homo toto tempore, quo viator est potest crescere semper in gratia Dei, & charitate, quia secundum D. Aug. si quis dicat; sufficit mihi, à via exijt ante finem, & licet ex sua ratione specifica non habeat terminum augméti, seù intensionis, quamuis iustus semper possit crescere, de facto habet terminum secundùm ordinem Diuinæ prædestinationis, & prouidentiæ, quia nullus potest ad gratiam Christi peruenire: huius tamen gratiæ nemo potest in hac vita habere certitudinem infallibilem, ita vt illius notitia vllo euidenti discursu comparari possit, quia qualiter quis se disponit penitus ignoratur. Dispositiones vero ultimas ad iustificationem efficienter à gratia procedere firmiter defensamus.

SIGNVM MAGNVM,

STVPENDVM

PRODIGIVM,

ADMIRANDVMQVE PORTENTVM;

Capite duodecimo Apocalypſeos, Mulierem ſolaribus flammigeris radijs amictu coruſcantem; Luna argentatum præbente calceamentum fulgentem; ſideribus pro corona micantem, dillecto Euangeliſtæ in Pathmos introſpectam.

NOSTRO PETRO PROTOPARENTI NOLASCO Barchinonæ orationis veſpertinæ pia thura redolenti reuelatam.

AVGVSTISSIMAM IMPERATRICEM

MARIAM

SACRI VENERANTVR INTERPRETES Sub fœlici titulo de Mercede de Empyreis ad aulam regalem Aragoniæ. ad cœleſtem noſtram Militarem, Regiam, Redemptricem Religionem, reuelandam deſcendentem: tropologicè, allegoricè, miſticè ælucidando gratum præſtabimus ſenſum.

Dum hæc Vandalica, pro electione ſuperioris capitis in Spiritu Sancto congregata Prouincia, ad tam ſereniſsimæ Reginæ, dulciſsimæ que matris pedes prouoluta, has theoſophicas laudes ex animo libat, ex affectu ſacrat, ex corde conſecrat.

QVÆSTIO PRÆ ORANDA.

Vtrum noſtra Parens, Virgo, Deigenitrixque Maria,
Poſtquam Diuini Verbi, excelſum peperit partum:
Noſtram Redemptricem dulciter fundans familiam,
In illam infuderit, Virginalis pectoris rorem?

SIGNVM MAGNVM: APPARVIT IN COELO MVLIER.

Supra admirationem rarum Ioanni visum est, mulierem supra verticem Cœli consistentem. Vbi Diuina essentia (quæ non in radicali immaterialitate; nec in entea se; nec in agregato perfectionum attributorum que Dei ficorum cummulo; nec in radice intellectionis; nec in ipsa actuali intellectione sistit; sed in principio proximo Diuinæ intellectionis sitam esse volumus) canoro trisagio à creaturis omnibus incæssabili declamatione laudatur. Vbi Omnipotens D. O. M. in circunscripto suæ substantialis gloriæ throno, & incompræhensibilium perfectionum simplicitèr simplicium congerie; quæ inter se, & ab essentia distinctione virtuali in adæquata, ob summam earum, & cum tertio identificationem, discriminantur, assistit. Sed cùm mulier illa Beatissima esset Deigenitrix Maria, cuius sacratissima viscera, quæ olim Spiritus Sancti afflata sibillo, nũc essent commiseratione commota; eo quod populum Hispanum, quem in filium dillectissimum, ex quo tẽpore Apostolorum pedem Sacratissimum in Cæsaraugustana columna fixerat, adoptauerat, in funiculis barbaris, & Agarenis vinculis gementem conspexerat: nil mirum vt in Cœlo gradum faceret, *vt miseris captiuis* (sicut dulcissimus aiebat Bernardus) *esset patrocinio*: & vt à Diuina voluntate, quæ per modum actus primi in Deo virtualiter distincta à volitione actuali, concedimus, decretum liberum, quod consistit in actualitate actus necessarij, prout ad creaturas liberè terminata, impetraret de Religione reuelanda, cuius speciale esset institutum captiuos è Turcarum tyrannide liberandi, & in pignus vsque ad effusionem sanguinis, manendi, si Christiani apostatandi periculum necessitas exposceret. In Cœlo denique Mulier extabat, & vt Religionem cuius

patronatum gerebat cœlestis titulo à Summorum Pontificum diplomatibus decoraretur. Et vt electores tam cœlestis ordinis intelligerent, Prælatum eligi debere, cujus vita cœlestis esset in terra, vt Cœli in alta specula constitutus, & subditorum bonos, & prauos mores præ oculis habeat, istos vt corrigat, illosque alijs vt in exemplum præbeat, & cœteris in præmio præponat.



LAVS

*** LAVS SECVNDA. ***

AMICTA SOLE.

ADmirabile spectaculum existimauit Ioannes quod Sol, qui centum sexaginta vicibus, vt censent Astrologi, magnitudine terram superat, tam exiguo mulieris corpori, pro indumento seruiret: sic Arabicus; *induta Sole.* Mariam namque vestiuit indiuisse illius vnitatis Sol, incircunscriptæ Trinitatis, quæ pro lumine Patrem, pro radio Filium, pro calore viuificantem Spiritum habet. Ex quibus personis prima innascibilis, aliæ vero ab illa per actus intellectus, & voluntatis immamentes procedunt. Quarum processionum principium proximum *quo*, non relatio in recto, sed absolutum deconnotato dicens respectum, existit, qui respectus perfectionem, essentiæ cui sunt addicti, superaddunt. Æternus namque Pater, cuius in ratione personæ constitutiuum est relatio secundum conceptum formæ hipostathicæ subsistentis, eam vt filiam dilectam decorauit, Sole charitatis eam pro vestimento circundans; ipsa dicit; *introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* Filius, etiam Diuinus, mundi que Redemptor (cuius processio, eo quod per assimilatiuum intellectus Patris actum generatur, & à processione Spiritus Sancti discriminatur, & propriæ generationis obtinet nomen, eam pulchrificauit vt Matrem. Lumine faciens frui sicut vestimento, vt Religionem fundans Captiuorum Redemptricem, sedentes erueret in tenebris, & vmbra mortis, qua peior est servitus, quæ Christianis à barbaris impenditur. Spiritus denique Sanctus, qui veluti impulsus à Patris, & Filij voluntate necessario procedit, aliàs à filio non distingueretur; eam ornauit vt spõsam sui amoris radijs circunfulgere faciens: vt Captiui, qui in catenis Adam crudelibus detinebantur, vinculis charitatis, quibus Religiosi ordinis Mercedarij ab ipsa stabiliti ad stringuntur, dum

spon-

ſpontè,*ex voto*, ad periculum animaſof ferunt pro proximorum libertate, redimantur; ideo Sole maxima cum Trinitatis totius gloria,mulier illa circunfertur. Audi meum ſic Bernardum loquentem:*Maria omnibus omnia facta eſt, omnibus miſericordia ſinum aperuit,vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi:eger curationem;captiuus Redemptionem;triſtis conſolationem; peccator veniam;Iuſtus gratiam;Angelus lætitiam;ac denique tota Trinitas gloriam. Putas ne ipſa eſt mulier amicta Sole? quæ velut alterum ſolem induit ſibi.* Ni dicamus,Sole Mariam fulciri, quia de ipſa dicitur; *electa vt Sol*: vt moneret iјs, qui in electione ſufragium habent actiuum,electum caput Solem deuere imitari, qui dum radios in oriente ſpargit, montis culmina prius coruſcat, vt valles ſubditi diſcant inſtar montis in ſanctitudinis proceritate erigi, vt Solis primos in fluxus accipere ſint benem eriti.



LAVS

LAVS TERTIA.

LVNA SVB PEDIBVS EIVS.

MErito admirabatur Ioannes mulierem pro indumento habentem luminare maius (cuius propria ſedes, in quarta ſphæra ab Aſtrologis aſignatur) ſine gigantei de formitate corporis; minorem luminarẽ, Lunam ſcilicet, cuius curſum per primã ſphæram continuo circunfertur baiulo ſub pedibus humilem, calcabilem que præberi. Sed cum puella illa Mariæ eſſet hieroglyficum, noſtræ Religionis inſtitutricis filiorum, cuius ardens charitas Agareno rum barbaram rabiem, in Luna ſignificatam, continuo, non ſine purpurei humoris paruipendio, pedibus calcat, non eſt admira tione dignum, Lunam ſubeius plantis auguſtum reperirithronũ dum Mariam agnoſceret Auroram rutilantemS olis illius, à qui bus ſplendentibus radi;s, argentatum proprium mendicabatur nitorem. *Lunæ enim Sanctorum chorus melius comparatur,* Diuus clamitabat Bernardus; qui à viſione Beatifica (certe de fide poſsibilem, vnius trinique iubaris, cuius poſsibilitas indemõſtrabilis eſt à creato intellectu lumine ſolo naturali innixo; & cuius Diuinæ eſſentiæ contemplatio inappetibilis eſt appetitu naturali innato, nec efficaci elicito, bene tamen inefficaci) venantur participationem Diuini intellectus in lumine gloriæ, quod in ipſorum mentibus eſt tota, adæquata què ratio proxima operandi ſupernaturaliter ergaviſionem Beatificam. Ad quam inſuplebi le eſt lumen per auxilium extrinſecum. Et impoſsibilis ſpecies impreſſa, creatique verbi fabricatio, per repugnantiam primarij effectus ipſorum. Ad pedes ergo Mariæ libenter ſe Luna ſubijciebat, nam à Gentilibus vt obſtetrix venerata, ad ſælicitatem partuum implorata, & ab omnibus Iuno Dea, Lucina dicta elec tores inſtrueret, vt procliues, & proni ad pedes Mari æ Regalis noſtræ familiæ auxiliatricis, huius que Bethicæ protectricis Prouintiæ fœlicitatem impetrarent, ad huius cõgregationis progreſ-

ſum,

sum,&prōlem. Inquō nōn veluti in Luna ex terreis interpositis cupidinibus eclipsim patiatur, sed quasi ex Apollineis rutilata radijs, semper in obseruantia instituti, fulgens euadat. Vt læti cum Poeta decantare possimus.

Casta faue Lucina, tuus iam regnat Apollo.



LAVS QVARTA.

ET IN CAPITE EIVS CORONA STELLARVM DVODECIM.

DIgnum plane exagerationis iudicauit Ioannes, non quòd mulieris caput sideribus circun fulgeretur; cui enim Sol vestimentum exhibebat, & quæ Lunam sub pedibus subijciebat, rarum non putari debebat Luciferis coronari. Sed quod, vt cum dulcisimo loquar Bernardo *potius caput eas ornabat, quā ornaretur ab eis*. In hoc misteriū: quod Maria supra firmam nostri Nolasci petram mercedariam instituens Religionem, vt populo redemptionem mitteret suo, & regalis priuilegio ex Regum hispaniæ chatolicorum patrocinio, & fundatione, ipsorum rescriptis adepto, decoraretur, & Angelicis stellis gratiæ gratiam addendo, supra ornamentum suæ gloriæ, ornatum addidit accidentalis letitiæ, de orbe pro secundo, per nostram à virgine nuper fundatam familiam redempto. Resonent Melifluit Doctoris verba: *Adstantes erant Angeli dolentes delacrimis matris sed magis credo quod gaudebant, eo quod genus humanum miserum, & captiuum misericorditer redimebat.* Gaudeant, colletentur, & inter suæ crispatos lucis radios, caput Mariæ giro collucentes circunfaciant. Cum Deus opifex omnium, illos administratorios spiritus creauerit, vt administeriū missos, & propter eos hæreditatem caperent salutis, ei, qui miseri exulabant filij Heuæ; & vt eis gaudens vniuersum, visu completè pulcherrimum appareret; eo expertes omni materia formauit. Cuius defectu, nec valent absoluto introspecto posse, nec intra eamdem speciem multiplicantur numericè. Tam agiles fabricauit, vt de loco in locum, impertransito medio remeari posint; inquo existunt, non per suam substantiam precisè, sed per suam operationem. Tanto intellectuali acumine, tanta que ingenij vigilantia eos ditauit, vt licet futura contingentia, cogitationes cordis, & misteria gratiæ, visua naturali euidenter demonstrari non valeāt,

non tamen indigent ſpeciebus impreſsis,nec expreſsis ad propriã ſubſtantiam cognoſcendam;neque diſcurſu egent ad percipienda alia à ſe,adquarum intellectionem ſpecierum indigent infuſſione. Exultent ergo,gratulentur, & caput Mariæ gratantèr,vt ſtellæ ornent:vt ſciant illi,ad quorum vocem ſuperius caput eligere attinet,Prælatum, qui huius Sanctæ Prouinciæ miſtici corporis dominium geret, duodecim ſtellarum fulgore debere fulciri;vniuerſitate,ſcilicet in numero duodenario ſignificata, virtutũ perpolitum eſſe. Vt capite tam pulchro noſtræ æparchiæ vniuerſitas magis,ac magis illo decorari videatur.



LAVS

ET ECCE DRACO MAGNVS, ET CAVDA EIVS trahebat tertiam partem ſtellarum.

SIngularem ferum, ſeptem capitis que Serpẽtem, dillectus vidit Æuangeliſta ſuper pennas æquitare ventorum, magno tertiæ partis ſtellarum cœli, ipſius caudam ſequẽtium comitatu in terram vſque detrahi, & inprofundum labi; tiranicum, ſcilicet, Turcarum imperium, quod turris Babilonicæ ad inſtar, vacua occupabat vẽtorum, ſuperomnium Regum Chriſtianorum dominium caput adætera extollens; & tertiam ferè mundi partem, Aſsiàm, videlicet, Americam, & Africam occupans. Cuius, ex quo Beatiſsima cœlorum Regina noſtrum Redemptorum ordinem (meritò idèo militarem vocatum) in lucem edidit, potentia fuit verecunde compreſſa, & anthidoto redemptricis flamminis, eius aſpidis venenum in ſanabile, iam vltimum vſque ad deliquium, non ſine catholicæ Eccleſiæ gaudio peruenit. Sed Dracoille primus Angelus fuit, qui in paradiſi Dei delicijs exiſtens, ſua non contentus ſorte, per primum peccatum (quod in primo ſuæ conditionis inſtanti, nec commiſsit, nec commitere potuit) ſe, & tertiam Angelorum partem agminum, cœlique aſtrorum, ad infernorum vſque imma, ſumma cum infœlicitate fuit detractu. Cuius autem ſpeciei, & inordine adquem terminum primum patrauit delictum? varij varia dixerè. Nos autem A. P. D. Thomæ veſtigijs inſiſtentes, fuiſſe propriam ſuperuiam; quæ fuit ita inordinatus amor ſuæ naturalis pulchritudinis, vt recuſauerit Beatitudinem ſuam ſupernaturalem, inquantum adèo complacuit in perfectione ſua naturali, vt voluerit in ipſius fruitione & cognitione vltimo quieſcere, & Beatitudinem ſuam ſupernaturalem, nempe claram Dei viſſionem ex gratia Dei illi conferendam, nolluerit admittere, vt finem ſuum vltimum. Clarum eligẽdis in hac congregatione Prælatis exemplum, vt ne nimium in ſuis meritis fidant, nec ad concu

piendas altiores sedes extollantur; quia, & si hac vniuersum mundum lucrentur intentione, parum proderit, cum in laqueum Diaboli; & æterni ignis caliginem, animabus suis detrimentum horrendum patiantur.



LAVS

ET ECCE DRACO STETIT ANTE MVLIEREM, quæ erat paritura.

MEntis excessu in *ecce* abipso notato respiciebat perspicaci prophetiæ linceis oculis crystallo Ioannes, ferocẽ Serpentem Mariæ in conspectu, quæ experacutis commiserationis doloribus exgementium captiuorum deperdita libertate ortis, vicinum conficiebat Redemptricis propaginis, candidæque sobolis partum. Benè etenim dignoscebat Draco quanta à futura Religione bella, tarterea aduersus regna immittẽda fore. Ideoque illis priscis in exordijs multa malignabatur inimicus in Sancto nostro instituto, aquis vehementibus extinguere flammam illius ardentis charitatis intendens; cuius magis vrebatur occasione, quam illius qui spiritum torrit in orcho: Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti! Sed cum non defecerint miserationes Mariæ, optatam valuit Redemptor fætus lucrari futuritionẽ. Quæ formaliter consistit in ordinatione, & præparatione causarum ad rem extra causas ponendam; ita vt Deus nulla futura certò, & infallibiliter sciat, nec percipere valeat in veritate ipsorum obiectiua, nec in causarum secundarum eminentissima compræhensione, aut super compræhensione, sed in medio sui liberi decreti, vel ex omni capite absoluti, vel ex parte ipsius Dei absoluti, & ex parte obiecti conditionati, quod in Deo libenter concedimus respectu futurorum conditionatorum. Ista autem, & absoluta phisicè coexistunt Deo in mensura æternitatis. Draco autem mulieris in conspectu inuidus inuigilabat hostis, vt ij, qui in huius partu congressus primos honores recipere spectant, pro comperto haberent, se cum humilitatis arma, contra vanitatis, quę superuiæ tella Draconis antiqui, illos præcipites dari ad stantis, pugnaturos præpari. O quam tenerrime de hoc lamẽtabatur Bernardus! O *quantos*, dicebat *& Clericos, & Monachos Draco vanitate præcipitauit!*

LAVS

PEPERIT MVLIER FILIVM MASCVLVM, & raptus est ad Thronum Dei.

POst tot discrimina rerum, post igniti Serpentis olibam fructiferam misericordiosi nostri instituti deuastare desiderantis, vindictam publicam adeptam; peperit Maria virginalis mentis pulcherrimam Mercedariæ charitatis virilem progeniem; quæ per irriguā matris, Virginisque protectionē incrementum accipiens ad throni vsque militantis Hierusalem culmen percingens, & excelentia professionis, & vbertate filiorum, & heroicæ sanctitatis splendore, fastigia summa conscendit. Ideò rapi ad Dei thronum dicitur, vt clariori luce explicaretur suauis efficacia prædestinationis filiorum Dei, qua certissime liberantur ij quicunque liberantur: non quod per illam in actu imperij absolute consistentem, electionem què mediorum præsuppositiuè dicentem, humani consilij lædatur libertas, sed quod inffabilitas decreti potiùs dulci suæ efficaciæ vi consolidet, perficiatque creatæ voluntatis libertatem. Ad quam cum illa efficacia conciliandam, minime ad scientiam mediam, in voce libertatem adstruentem, in re vero à Deo, & humano corde auferentem, recursum habere nollumus. Immo illam dari negamus. Electi sunt efficaciter ad gloriam prædestinati, ante ipsorū præuisionem meritorum, ideoque ista electio sub merito cadere non potest; secus decretum executiuum prædestinationis. Quæ quidē pro effectibus elicitis vocationē electionē, æternamq; Beatitudinem respicit: imperat vero permisionē peccati ex præintenta pœnitentia, vt cautior resurgat peccator ad thronum gloriæ promerendum. Ad quem, mulieris filius exaltatus fuit, vt sciant Prælati eligendi, quod si ad thronum euehuntur, vt principes sint fratrum, etiam rapientur in nubibus, illo in die tremendo, in quo durissimum judicium his qui præsunt fiet, obuiam Christo in aera; vbi in iudicis tribunali recti, de animabus suæ deditis curæ ratio-

tionem reddent, dum ab ipsis quæretur, vbi est grex qui datus est tibi? Et friuola tunc erit excusatio Cain fratricidæ: num quid custos fratris mei sum? Ibi enim tot illis infligentur suplicia, quot fuerunt dignitatis fastigia.

Anthagonista se offeret has verbiparæ laudes impugnanti, prima huius Prouincialis Capituli luce mediante, P. Fr. Bernardus de Padilla Illustrissimi, ac Reuerendissimi Domini Episcopi Giennensis familiarium artium Lectoris, R.P.M. Fr. Ludouici Montiel Conventus Giennensis Commendatoris, & Sanctæ Inquisitionis Qualificatoris, & eiusdem Diœcesis synodalis Examinatoris, clypeo munitus.

Adstabit Mineruæ, Palladisque alumnis maximè fauens Reuerendissimus P. N. M. Generalis.



STIGMATIZATI SERAPH,

QVAM ÆDIFICAVIT SAPIENTIA, DOMVS; VNA IN DILECTIONE VNITAS, QUINQUE VULNERUM STEMMATE SACRO CORONATA, NATA;

WANDALICA MINORUM EPARCHIA, DVM SELECTIOREM NOVUM PROVINCIALEM MINISTRVM provida obtinere ſatagit, agit: Omnipotenti placere, non ſibi ſoli viuere, ſed, & alijs proficere, Dei zelo ducta, volens, ad arcem veræ Minervæ provocat, vocat; & ad mænia Ciuitatis Sacratæ Palladis ſtudioſos, generoſos venire Martes, clamat, amat:

MISCET CHARITATIS CONDITVM PROPINANDVM POCVLVM:

PROPONIT MENSAM SVAM PULCHERRIMIS, tum ornatam eloquentiæ floribus, aureis tum ferculis Theoſophiæ Sapidioribus plenam: Aquæ ſapientiæ ſalutaris, ad recreandos, quos invitat animos, latices abundantes offert; Scaturiente illo, quide minori terra aſcendebat, ſubtili fonte, quique in quatuor ſen tentiarum capita diviſus, fluvius irrigabat omnem ſuperficiem terræ, quorum fluminum impetus lætificat Ciuitatem Dei, vbi Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus.

INDICITVR LITTERALI NOSTRÆ CONCERTATIONI locus, Athletiſque generoſis paleſtra paratur, magnum, Regaleque ſacrum Fanum S. P. N. FRANCISCI per tres continuas luces incepturas â die 20. Octobris, vſque ad 22. eiuſdem, Anni 90.

ANTILOGIA AD MINORIADVM BOETICÆ PROVINCIALE CAPITVLVM.

EPIGRAMMA.

ARma, viroſque tuos, voces, præconia læta
Dirigis illuſtris Provincia Vvandala quorſum?
Cur genitos Martis pulchros, vel Palladis ortos
Colligis, ad pugnamque iubes, deſcendere mentes?
Dic mihi, quo voces tendant? Quo gaudia tanta?
Eximiæ, quo laudes? Plauſus quoque tuorum?
Quid ve velint dextrùm præconum concio iuncta?
Aſt, Apage, aſpicies, pergat quo turba minorum,
Si celebraturam ſua comitialia ſpectes,
Tempore completo terno, quo volvitur Orbis;
Quo nova progenies patrum mittatur ab alto
Numine, conveniens iam ſupplex in ſimul orat:
Atque vocat fratres, quos allicit ad quater eius
Continuas luces fauſtas, ducendaque feſta:
Dum ſibi maiorem ſtatui, dignumque Parentem,
Poſtulat á Supero, Rectoreque, Præſule fratrum:
Tuncque creare duces, alios patreſque Minores,
Quique regant ipſam, cœtum foveantque puſillum,
Provida dum ſatagit, Divino flamine ducta.
Interea, vibrare, vide, Martis, vel tela Minervæ
Fulgida, quæ Scotus noſter generoſus Achilles,
Subtiliſque ſuis Doctor dedit, atque magiſter.
Præterea, reſonare melos, voceſque canoras,
Plauſibileſque tubas ſacras, dulciſona verba
Promere, quæ celebrent Divos, alacreſque ſalutent,
Quos avide cupiunt, optant, quæruntque Patronos.
Exeat, vt gaudens tantis numinibus vna,
Quæque dies merito, terque, quaterque beata.

HY-

HYPOTYPOSIS GERENDORUM,

FAUSTARUMQUE LUCUM SERIEM EXPRIMENS.

Proſpera prima dies feſtorum maxima noſtris
Ianua ſit, fœlix auſpiciumque dabit.
Virginis excelſæ primo, primi ſine labe parentis,
Iubilet inſtanti, thuraque ſacra ſacret.
Conſulit iſta dies, ſcrutans ſuffragia certa,
Congregat & voces, candida vota legit.

HAC LVCE, IACOB, VEL ISRRAEL, qui in lucta meliorem meruit intueri aſcendentem Auroram, tenebrarum victricem, aſtabit fulgens eloquio dulcĭ,

R.P.F.DIDACUS MUÑOS

PHILOSOPHIÆ PROFESSOR, Apoſtolicus Prædĭcator eximius, Ex-diffinitor, & Gadicenſis magni Cœnobij Guardianus.

Altera poſt primam, celſas extollere laudes,
Cuius nam quærit, gratior, atque cupit?
Hic Domini cuſtos, cœleſtis ſplendida ſtella,
Noſter Sol fulgens, lucidus, atque Parens.
Eligit electumque Ducem, iam lætior iſta
Clara dies gaudens, nominat, hincque colit.

QVA

QVA LUCE, VEL CORDE FORTIS, VEL SERMONE magnanimus, vt præſefert nomen, oſtendens Cherub, flammeumque gladium, ad cuſtodiendam Paradiſi dominici viam, ſplendidus Orator aderit

P. F. FRANCISCVS PERRY

Collegij maioris S.S. Petri, & Pauli, Complutenſis olim toga inſignis, & Sacræ Theologiæ in Cæſarienſi Conventu Profeſſor.

Tertia fauſta dies Patrem celebrare Minorum
Semi-virumque Seraph, Semi ſeraphque Virum.
Optat Franciſcum, tum palmis, pectore, plantis
Portantem Chriſti ſtigmata ſacra ſui.
Pro patribus primis electis, tertia Divo
Grata dies laudes intonat, en que canit.

HAC DIE, AQUILINIS CONTEMPLANS OBTVTIBVS alterum Angelum aſcendentem ab ortu Solis, habentem ſignum Dei vivi, facunda, fæcundaque reſonabit vox, doxologia in gratiarum exprimens actionem,

R. P. F. IOANNES BAPTISTA

Iubilatus ſemel emeritus, atque iterum optatus Lector.

Quarta dies, cui nam teneatur mœſta dicari,
Funebre iam metrum indicit, hocque refert.
Ovid. lib. 3. triſt *Funeris ara mihi, feralis iuncta cupreſſo-- Convenit-*
Idem lib. 5 *Tibia funeribus convenit iſta meis.*
Quæque dies triſtris, Patronis pangere noſtris
E vita functis, carmina mœſta cogit.

QUA DIE, MOESTVS, AVDIENS VOCEM DE COELO dicentē ſibi, ſcribe, beati mortui, qui in domino moriuntur, noviſſima tuba canet, næniam panget, incorruptam, immortalemque memorabitur memoriam (in ſignum noſtræ nunquam abolendæ gratitudinis) Exellentiſſimorum D. D. Marchionum de Aiamonte, huius Bœticæ Provinciæ Tutelarium,

R. P. F. IOANNES DE ALANIS,

Sacræ Sophiæ Lector, Diffinitorque Provinciæ.

QVO-

QVOMODO
CECIDISTI LVCIFER,
QUI MANE ORIEBARIS?

NONNE PROFERENS IN CORDE TUO PROCAX, audax, in Cœlum conscendam! Ita sane; cecidi ad pedes animati lucidioris, Stellati Cœli, nec potui stupidus, cæcus videre ortum surgentis Auroræ. Quæ te deniq; vulneravit, qui vulnerabas inimicus omnes? Ipsa, de qua audivi, & iam perculsus experior, conteret caput tuum. Cui Cœlestes mirati retulere Nimbi; quam pulchri sunt gressus tui, filia principis, cuiusque omnis gloria, filiæ Regis ab intus, in fimbrijs aureis circumamictæ varietatibus. Sed quæ est ista, quæ in originali limine primo de te, tam teterrimo serpentino hoste victrix reportans triumphum, ascendit, sicut Aurora consurgens, profligatrix vmbrarum, pulchra, vt Luna, plena in diebus suis, absque nocte præclaris, electa, vt Sol in quo posuit tabernaculum suum Altissimus; terribilis, vt Castrorum acies ordinata; quæ, vt gyrum Cœli circuivit sola, & profundum abyssi penetravit, vsque ad infernum draconem dirum devinctum, vinctum te detraxit? Ast, ò te miserum mutum! adhereat lingua tuis venenatis faucibus: Luas pœnas, puniaris audax, capiteque plexus, dum subtices, nomen siles: Iam Minores, qui tuæ confusionis, & ruboris proprij propalatores edidere, prompsere toties, venerabundi corde, lætabundi voce, proclamant amantes.

Altitonumque sonat Numen, vel Nominis omen,
Quodque dabit Nomen omina læta suis.

B. VIRGO MARIA

IN PRIMO SYNODOCHES SVÆ PHYSICO INSTANTI, vt Dignum Filio Dei habitaculum præpararet, apo omni prorsus acantha præservata peccati, insuperque puritate nitens, qua maior sub Deo nequit intelligi. Tuæ ergo (O virgo sacra protectrix Minorum) à prima exorientis vitæ tuæ luce originariæ labis immunitati, Bœtica hæc Provincia ex perenni fonte illius, quem strenuum militem tuæ puritatis propugnatorem tibi elegisti præcunctis, hos latices, ex præcordijs, mente, & animo D. O. & S.

PRI-

PRIMVS LATEX.

BREVI Charta, vix parum de latissimo Theologiæ campo, prælo mandari potest. Huius equidem totum argumentum est Deus, Scientiarum dominus, tantumque Diuinū numen habet scopum theosophia Sacra; esto diversis nominibus, positiva, moralis, mystica, & scholastica nuncupetur; propter officia diversa, quibus versus Deum tendit. Scholastica, qua fides saluberrima gignitur, & nūtritur, defenditur, & roboratur, in ipso Deo reperitur, cum omni proprietate. In nobis non contingit, nisi ab agente primo per revelationem, quod est huius doctrinæ causa efficiens. Voluntati nostræ præscribit scientia hęc modum operandi recte; & hac ratione in intellectu creato beato, & viatore notitia practica est: Secus vero in intellectu Divino; quia tam de necessarijs, quam de contigentibus est simpliciter speculativa. Vltra perfectionem scientiæ attributa plurima Divinam exornant naturam. Elucet in ea iustitia distributiva perfecta, non vero commutativa rigorosa: & licet in suo conceptu formali se excludant inter se, & ab essentia, aliter de Divina Iustitia sentimus.

* * SECUNDVS LATEX. * *

IN *principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*; altitona intonat voce Ioan. 1. Noſque exauditu fidem inſtruità ſæculis abſconditi, Dei Trini, & vnius ineffalis, Arcani; quod in hoc conſiſtit, quod perfectionum pelagus Diuina eſſentia ſingulariſſima, & à ſe vna ſit in tribus perſonis realiter diſtinctis. Hæc enim, vt pote ſummum bonum ſumme ſe diffundit, infinite ſe communicando. Gaudet venerabilis eſſentia propria ſubſiſtentia abſoluta: perſonæ relativis ſubſiſtunt: illa infinitatem obtinet, hæ, licet identica, propria, & formali infinitate non potiuntur; nec poſſunt ſub proprijs quidditatibus inſpectæ dici perfectiones. Relationes Diuinæ vna cum eſſentia concurrunt ad notionales actus, vt productiones ſalventur inter realiter diſtinctos; aliter tamen, & aliter: Nam paternitas non pertinet ad principium *quo* formale productiuum, munus, quod natura ſibi ſoli vendicat, intendens aſſimilare ſibi productum; ſed tantum eſt conditio neceſſaria ponens memoriam fæcundam in ſuppoſito, vt exeat in actum ſecundum, producaturque vnigenitus, *qui eſt in ſinu Patris*. Huius verbi productio eſt generatio, in cuius inveſtigatione, vox ſilet, mens deficit, impoſſibileque nobis eſt propria virtute, generationis huius noſſe Myſterium: *Nam generationem eius quis enerrabit?*

TER-

TERTIUS LATEX.

Qvos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filij ſui: Ait Apoſt. ad Rom. 1. Namque completo, vt docet D. S. toto proceſſu originis reſpectu primi termini, ſcilicet eſſentiæ Divinæ communicandæ, ſequitur ordo alius reſpectu ſecundi termini, ſcilicet, eſſentiæ creabilis; in quo non neceſſario, ſicut in illo, operatur; quia ſic periret in rebus omnis omnino contingentia. Creavit hominem, & libere ordinavit ad ſe: ad quem inſtruendum, doctrinam Sacram de Cœlo miſſit, veluti Epiſtolam ipſa manu omnipotentis conſcriptam ad creaturam ſuam. Elegit quoſquos voluit, prædeſtinatione ſua: imperſcrutabile Sacramentum! in quo ſalvare libertatem Divinam, ſine aliqua iniuſtia, opus eſt, non enim eſt acceptatio perſonarnm apud Deum. Libera igitur Divina prædeſtinatio eſt; ac proinde in actu voluntatis ſupernæ in recto eſſentialiter ſiſtenda: Inquit enim Apoſt. *quod elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*; quod exercitium Divinæ libertatis ſonat, quodq́ ad voluntatem attinet; ſicut ad intellectum naturalis operatio. Huius æternæ prædeſtinationis inter effectus permiſſionem peccati recenſe: *Diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum.*

QVARTVS LATEX.

L*Vcem inhabitat inaccessibilem* Deus verus; hebetibusque imperceptibile lumen est oculis: quod cum nimio splendore suo nostræ mentis aciem obtundat, deindeque vires nostræ voluntatis exsuperet, tum, ad amorem supernaturalem, tum ad claram sui visionem, certum est indigere potentias nostras fulcris, vel habitibus supernaturalibus infusis: Attamen, nec lumen gloriæ, nec charitas est tota vis proxima agendi actus supernaturales; potentiæ equidem elevatæ proprijs habitibus actus supernaturales proxime, quo ad omnes conceptus, attingunt. Nec improbabile iudices, si in communibus dispensetur legibus, ipsas potentias, cum solo Dei extrinseco adiutorio supernaturales hasce operationes producturas fore. Operationes enim istæ, quæ, Magistro Subtili, qualites quædam absolutæ sunt, effectus reputantur omnipotentis virtutis, quos plane, sine secundis causis ipsa in lucem edere potest; imo sine concursu activo creatæ facultatis, in ipsa passive se habente potentia actus supernaturales infundere, valens est: quando vero solum passive se creatura gereret, absque habitu elevante per actum amoris à solo Deo productum, & in voluntate positum formaliter ipsum possideret, & Beatorum aureolis redimiretur.

Intellectum creatum intellectione Divina formaliter intelligere posse, per absolutam potentiam, autumamus; quod quia non repugnat, *non est impossibile apud Deum.*

Pro his propugnandis egregius præses optabitur enixe R. P. F. IOANNES DE MORA, Iubilatus Anagnostes Theologus, Sancti officij Qualificator, & Conventus Cæsariensis Guardianus: Exterisque phalangibus occurret, tanto protegente præsidio P. F. PETRVS GONZALES D Bonaventuræ Collegij, Collega.

SPLENDIDIVS
TEOSOPHIÆ IVBAR,
EXIMIVS SACRATÆ PALLADIS, FILIVS, ECQVIS?

DIVINI VERBI IVCUNDIOR VOX, MERCURIVS ſacer melior, quiſnam? Nitidius virtutum ſpeculum, morum elegantium norma, regularis obſervantiæ, cum religionis zelo promotor, fautor ve ardentior, quis? Vigilantior præſul ſuper Iacob, vel Iſraël attentior ſpecula, ſub modio minime contineri valens, quo minus lucidior omnium votis, ſuffragijs Lucerna ad Seraphicæ cohortis ſupremum eveheretur candelabrum, qualis?

QUIS DEMVM,

O INFANDVM REGINA IVBES RENOVARE DOLOREM!

Eliano Zelotæ, vel ad ſuperos ſtatim rapto, vel â Minoribus, nobis maxime pupillis abſque Patre, ſublato ſpiritui, eius Eliſæus, vel ſuccedens, vel duplicem in pallio, quod ceciderat ei, aut relictum ſpiritum, aut dum adhuc vita vrdiretur, ebibitum, induens? Sed apagé; *Abſterget enim Deus omnem lacrimam ab oculis tuorum, & iam non erit amplius, neque luctus, neque clamor, qui namq; e ſedebat in throno, ait: Ecce nova facio.*

Orbæ, quique tibi ſimilem, iam Patris adempti.
MVM *Incunctis Patrem, reddit, atque parem.*

R. P.N.F.IOANNEM ALVIN,

TOTIVS SERAPHICÆ RELIGIONIS IAM GENERALEM Miniſtrum: cuius, vel candidum nomen exemplar imitationi prȩſtat, rubicunda charitas, coccinea vitta circumamicta vita in amorem vocat; Stigmatizatiq; Protoparentis noſtri veſtigia fortiter, ſuaviter allicit, provocat inſectanda: de quo Bætica hæc Provincia cliens, in tanti ablati ſibi parentis abſentia, ex innato amore credita, tradita canit illud Silvij:

Ne collapſa ruant ſubductis tecta columnis,
Stratus humi palmes viduas deſideret vlmos.
Eſto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem,
Integer.--

CVIQUE HODIERNA LITTERARIA LIS, FAVENTIVS, benevolentius patrocinium potiri geſtiens, ſacrari cupit, inque dilectionis gratitudinis, ſpecialiſque affectus obſequium, dicari æqui, bonique conſulens, L. L. L.

PRI-

349

*** PRIMUS LATEX. ***

OMnia per ipſum facta ſunt, proſequitur Ioan. 1. viſibilia, & inviſibilia; inter quæ Primas egreſſa eſt Angelorum Hierarchica turba, inter terminos creationis faſtigium obtinens: quorum conſtitutivum, non gradum, ſeu modum taliter cognoſcendi, ſed per intrinſecam differentiam ſuam ad intellectualitatis gradum, per modum radicis præſuppoſitam, intelliges. Tanta vi nativa eos ſupre nus condidit artifex, vt omne ens creatum, quamtumvis ſupernaturale, naturaliter, & intuitive cognoſcere, valentes ſint. Vnde Angelis naturalem, & intuitivam cognitionem vnionis hypoſtaticæ humanitatis ad Verbum, extra cauſas poſitæ, minime denegandam, probatur. Pollent Angeli agente intellectu, ſicut & nos, proficereque poſſunt accipiendo cognitionem á rebus. Eſſe in loco Angelicos ſpiritus per ſuam operationem, aut permanentem, aut tranſeuntem, inficiamur; ſufficere enim ipſorum ſubſtantiam ad fundandam vbicationem in aliquo loco, ſentimus. Definitur Angelus ad ſpatium determinatum, vltra quod tranſilire nequit; at non ita illud occupat, & replet, quin poſſit pro libito ſuo alicui ex partibus, intra locum adæquatum contentis, præſens adeſſe. Nec hoc obſtat, vt poſſit tranſire ad alios, Dei nutu: *Omnes enim ſunt adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi.*

350

SE-

* * SECVNDUS LATEX. * *

Qvi facit Angelos ſuos ſpiritus, & Miniſtros eius, & amicabiles, & ſociabiles condidit; alios alijs præferendo, vt gubernatio, & communicatio ſpiritualis inter eos gereretur; quę exigunt indiſpenſabiliter collocutionē, & ſuorū manifeſtationē cōceptuū: conſiſtit autem locutio Angelorum, non in ſenſibilibus ſignis, nec in voluntaria ordinatione, & manifeſtatione conceptus loquentis audienti facta, ſed in hoc, quod loquens Angelus cauſet in audientis mente notitiam expreſſam illius, de quo loquitur obiecti. Sed quam male audierunt illi Angeli, in quibus reperit pravitatem Dominus, illius verbum, qui dicebat in corde ſuo garrulus, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum: in quo, & defecit, & peccare fecit alios: Cuius defectio prima, vt ait D. S. fuit inordinatus ſui amor. Quod peccatum, & ſi commiſſum fuerit in alio inſtanti, præter quam in primo creationis eius, non tamen repugnat, Angelum in ipſo peccare potuiſſe. Omnes Angelicę ſubſtantiæ corporeitatis ſunt expertes: quæ & ſi omnino ſpirituales ſint, non tamen omnes ſunt diverſæ ſpeciei; aliquas enim ſolo numero diſſidere, aſſerimus, ex tot millibus, quę Daniel refert: *Millia millium aſſiſtebant ei, & decies centena millia miniſtrabant ei.*

TER-

* *
*

A[illegible]
at
que
dum
Divin
de non comedendo de vnius
ei Dominus mortem minitab
conditus immortalis instatu
Angelus, sed gratuito benefici
permansisset: quam immortalit
turam intrinsece, iudicamus; c
providentia, & protectione. Si f
D. S. cum Diuo Gregorio 4. mc
nascituros electos, nullos vero re p
Filij tunc nati, in iustitia statim n
quam primam tentationem vicisse
set, si primae tentationi resti tisset.
inconstans homo, tulit, & comedi
vit, in orbem introduxit mc
omnes homines per

351

* *
*

, ſubdit Ioann.
ſum omnia facta,
nihil, niſi peccatū
o, deficiens ad hoc
homo. Quare optime
endo de actuali) in pri-
nis debitę in eſſe actui,
bis arridet. Famoſe divi-
logis peccatum actuale in
imen, & diferentiam primam
d mortale ſit privatio rectitu-
ifice conſequendum, veniale
udinis vtilis; ita vt vtrumque
m Dei, licet in veniali ad vtile
otius concilium dices. Utrique
niali in eſt, & malitiæ, & offenſæ
gravis, in altero levis eſt. Quanta
m vertitur; an infinita ſit intrin-
os cum ſubtilitatum noſtro Ante-
; nullum peccatum, aut in ratione
tiæ, eſſe intrinſece, & ſimpliciter in-
i correſpondet æterna pœna; & hoc
ex illo patet: *Qui vero mala, in*
nem æternum.

ns munimentum præſtabit R. P. F.
RVIZ, in Sacra Theologia Iubilatus
bij Guardianus; cuius fortiſſima tutela
urus incurſibus ſe accinget P. F.
R O M A N D. Bonaventuræ
Collegialis Theologus.

QVEM PROPERVM
PATRONVM QVÆRIS,
EXIMIUM TVTELAREM OPTAS,
STUDIOSA PUGNA,
LITTERALE BELLVM?

MOECENATEM NE INGENUVM, INCLYTVM Heroem? En tibi melior adest, præest maior ex millibus electus vnus, pro millibus sufficitur vnicus: Superior Princeps, inter Hispaniæ Proceres magnificus; cuius tot egregias animi dotes non admiratur haud vllus; dum circumquaque ornamentum ingenitæ nobilitatis eius obviat cunctis; superque aurea præclaræ suæ perantiquæ stirpis stemmati tot eminere, emicare virtutes, patescit omnibus: Cuius sapientia fulgidum, prudentia ornatum, benevolentia charum, affabilem comitas, splendidum longanimitas, amicabilem, spectabilemque pietas, charitas, liberalitas clamant, prædicant: Cuiusque cætera gesta, encomia, laudes, si exprimere, impotens supersedet, sistit calamus; si vilis panegyris nulla clausulis continere valet, tacet, silet; præconizet fama, gloria clamet:

Indicet, atque suum reboans super omnia, maius
Nomen, & exelsum meliori voce relatet.

ADEST, INQVAM.

EXELL. D. D. EMMANVEL
LUDOVICUS MANRRIQUE ZUÑIGA, ET GUZMAN,

MARCHIO DE AIAMONTE, VILLAMANRRIQVE, &c. Clavis aureæ merito Commendatus Eques, Catholicæ Maiestatis Caroli Secundi Camerarius dignissimus, ac huius nostræ Provinciæ Bæticæ collendissimus Tutelaris Patronus: Cui, nunquam satis laudando Viro, qui semper laudibus maior, Minor hæc Provincia sua, pro suis Comitijs congregata concors, tanto suo Mecœnati Regio, in qualem qualem pro tot, quibus cumulatur, suis muneribus, gratam solutionem, has de S. D. fluvijs iucundas guttulas, libens O. lubens D.

352 Ex

Ex Qvarto Sententiarvm.

*** PRIMUS LATEX. ***

E*T habitavit in nobis*, præterea ait Ioan. Cuius delitiæ esse cum filijs hominum; quibus medela factus languidis, instituit ipse Cœlestis medicus salubria medicamina, quibus viator, qui in manus latronum inciderat, & quem expoliaverunt, plagisque impositis, semivivum reliquerant, mederetur: *Nam ad vulnera nostra descendit, vt vsu quodam, & copia suæ naturæ comparticipes nos faciat regni Cœlestis* Ad hoc quippe septem sacravit signa, vt contra originalis, actualisque peccati vulnera prodessent, plebsque ista salvatoris, suæ naufragationis remedium, verumque consolationis auxilium fœliciter inveniret. Horum in in communi diffinitio est: *Esse signa efficacia gratiæ, vel gratuiti effectus significantia.* Est autem illorum institutionis prima causa solus Deus; ex cuius determinatione vendicant sui significati efficaciam; qua propter influxum, quem respectu gratiæ obtinent non physicum, sed moralem opinamur. In quolibet statu viæ post lapsum congruebat aliquod admittere Sacramentum, Vnde in lege scripta Circuncissio Sacramenti propriè accepti munere fuit functa; vtique ex opere operato gratiam conferebat. In illo augustissimo, omnique fęlicitate referto innocentiæ statu, sicut intemeratus, & nulla labe pollutus, tunc temporis, consistebat, minime congruum erat Sacramentum, vt Medicina est contra peccatum. *Nam opus non est valentibus medicus, sed male habentibus, ait Math. 9.*

** SECUNDUS LATEX. **

IN *finem dilexit eos*, vltimo tenerrimo concentu canit, qui supra pectus Domini in cæna recubuit: Vel vt alij; Maiora dilectionis signa dedit, quando instituit Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, ceteris dignitate, & excellentia præstantius: In quo sub panis, & vini speciebus corpus, & sanguis Domini nostri Iesu Christi continetur. Ponitur ex vi verborum corpus Sacratissimum in hostia, non aliqua actione productiva, aut reproductiva, sed actione adductiva, cum D.S. tenemus. Desinit esse panis, adveniente corpore Christi Domini nostri, sed non anihilatur, quantumvis, nec forma, nec materia panis sit superstes. Optime potuit Sacramentum illud ante incarnationem institui. Quamvis Christus Dominus hoc ingrediatur mysterium in recto, quatenus convivium est *quod in sacræ mensa Cœnæ turbæ fratrum duodenæ datum non ambigitur*, tamen illius constitutionem solum, vt terminus connotatus intrat. Nullam repugnantiam reperimus, vt præsentiam panis, & vini, cum corporis, & sanguinis Christi præsentia de Divino posse componamus, salva Eucharisticæ veritatis existentia; potuit enim institui superstite pane, & vino quoad substantiam. Mirabilis, & sublimis quidem est modus, quo Christus Dominus in Eucharistia residet; si quidem non vbi spirituale definitivum, sed sacramentale, à definitivo distinctum obtinet: Quo totus in tota hostia, & totus in qualibet parte eius præsens existit, integra gaudens quantitate, & extensione in ordine ad se: *Nam fracto demum Sacramento, non vacilles, sed memento, tantum esse sub fragmento quantum toto tegitur.*

Literarii huic pugnæ Magisteriale dexterrimum exhibebit munus R. P. F. FRANCISCVS GVZMAN, Iubilationis laurea in Sacra Sophia insignis, & Ex-Diffinitor; cuius fortissimo armatus Clypeo oppositorum acumina telorum retundet P. F. IOANNES LAVRENTIVS, in D. Bonaventuræ Palestra Collegialis athleta.